



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

De Praefecto Spirituali Carceratorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

## DE PRÆFECTO SPIRITUALI Carceratorum.

Deputetur Sacerdos Præfectus spiritualis carcerum: cuius officium proprium sit cura omnis spiritualis, & quæ ad mores attinet, tum carceratorum, tum collateralis; & custodum satellitumque præsertim, qui apud carceres commorantur; ac præterea omnis diligentia pro bona tractatione corporali eorundem carceratorum.

In singulis diebus celebret Missam in Sacello carcerum: eam tamen debet Præfectus, ne carcerati inquisiti de hæresi admittantur ad Missam, nec ad sacramenta; nisi de expresso consensu Vicarij generalis.

Dominicis diebus benedicat aquam, & eam illa aspergat singula loca carcerum, & carceratos; sed ex fenestra tantum, quæ in ostio est, sine ingressu carceris, quod ad carceratos, qui sunt in secretis.

Curæ ipsius sit, ut carcerati consecrentur saltè quatuor temporibus anni; videlicet, Natiuitate Domini, in Paschate Resurrectionis, in Pentecoste, in Assumptione B. Virginis Mariæ; sæpius etiam ipsis carceratis id postulantiibus, aut desiderantiibus: quibus statim temporibus accerset sacerdotem alium admodum probatum, qui eorum confessiones audiat; eiq; detur facultas absoluedi à casibus Archiepiscopo reservatis, ut Archiepiscopo videbitur.

Ipsè verò sanctissimam Eucharistiã ministrat eis, qui parati erunt; & in tempore Paschatis fidem scriptam faciat de communionem cuiuscunque carcerati suis Parochiis.

Saltem semel in hebdomada per se, singulis autem mensibus per alios probatos Sacerdotes ad id ab Archiepiscopo constitutos, concionem habere, aut sermocinari non omittat ad existentes in publicis carceribus.

Idem doceat doctrinam Christianã existentes in carceribus publicis, saltè diebus festis; ac præterea etiam sæpè per hebdomadam.

Curet, ut in singulis carceribus sit sacra imago Salvatoris nostri, vel Beatæ Virginis, & inter illas imago sancti Leonar-

di Aduocati carceratorum.

Item libri aliquot spirituales, qui probati sint à Vicario generali.

Curet etiã, ut carcerati in publico carcere existentes, quotidie mane, & vesperi omnes simul canant genuflexi Litanias; & vacent frequentius in die festo orationibus.

Idem inuigilet super carceratorum moribus; & præsertim mulierum, quæ in carceribus retinentur.

Videat, ne carceratis agrorantibus desint, Medicus, medicina, alia ve necessaria curatio; & si morbo impatiuntur, attendat præterea, ne in cibarijs carceratis tradendis aliqua fraus committatur; sed illis secundum Romanam provisionem ad præscriptum Taxæ, victum, suppellectilem; & alia necessaria subministrant.

Si in aliquo, quod ad morum correctionem, vel corporis necessitatem pertineat, provideri opus esse iudicauerit, ad carcerum Protectorem recursum habeat.

Hac de causa singulis diebus visitet singulatim singulos carceres publicos, & carceratos in illis existentes distingat alios verò non, nisi ex consensu Vicarij criminalis; queratq; de illorum indigentijs spiritualibus, & temporalibus; ac remoto custode, de eorum tractatione in omnibus diligentissime inquireat.

Carceratorum causas non audiat, neq; in his aliquo pacto se ingerat; sed id minus Protectoris, Aduocati, atque Procuratoris carcerum curæ sollicitudine peritus relinquat.

Sint aliqua loca distincta à carceribus, tuta quidè, sed comodiora, ad usum illorum, qui condemnantur, vel damnantur ad carcerem perpetuam, vel ad tempus, vel etiam quibus extrajudicialiter imponitur huiusmodi sequestrato provarijis culpis, delictis: nec verò cum eo loci sunt, grauentur impensa vlla collateralis, vel custodis: sed vel aliquis ex charitate inferuiat, vel alia inear ratio pro necessario seruitio illis impendendo sine eorum impensa; præterquam ratione cibariorum; si modum habeat; alioquin etiã de cibarijs provideatur, vel de applicatione mulctarum, vel denique impensa Archiepiscopi.

De